

judicent jam piæ mentes , quo honore exornent Pontificii honestissimum matrimonium , quod à DEO , sanctissimo Numine institutum , describi illud affirmantes ex coïnquinatione cum mulieribus. Sed cæterum sciant , sententiam istius loci generalem esse , & pertinere ad omnes fideles , sicut *Matth. 25. v. 1. Regnum Cælorum comparatur virginibus* & *Psal. 44. v. 15. Adducentur Regi virgines : sicut in Prophetis Ecclesia vocatur virgo , filia Sion Esa. 37. vers. 22. cap. 47. vers. 1. Virgo Israel, Amos 6. vers. 2.* Insuper locutio ibi est metaphorica , & loquitur textus de idololatriâ , quam Spiritus S. per adulteria & fornicationes depingere solet in scripturâ : quemadmodum & Christus Phariseos vocat *generationem adulteram* : & præcipuè hoc in loco etiam de *scortatione Babylonicâ* sermo est.

§. 49.

Hæc jam sunt præcipua Pontificiorum pro stabiliendo coelibatu argumenta , quibus refutatis , reliqua , quotquot objicere solent , per sese corruunt.

§. 50.

Vela itaque contrahimus ac DEO Triuni humiles & devotas gratias agimus pro præstitâ Spiritus S. gratia , atque ex intimis rogamus , ut ille Ecclesiæ Sponsus piis conjugibus adsit , & ad cœlestes nuptias nos omnes olim transferat.

COROLLARIA.

I. *Baldus & Wernherus Episcopi quon-*